



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Caput 25. Circa spirituales hæreticorum pœnas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

DVBIVM XCIII.

An Fautores hereticorum incurrant, pœnas iure præscriptas antequam ab Ecclesia denotati sint, & in excommunicatione publica per annum inforduerint?

437
Nonnulla
recolo.


R Ecolo pœnas, quibus receptatores, fautores, defensores, hereticorum afficiantur, quas fere omnes enumerat Pontifex in cap. Excommunicamus, §. Credentes, de heret. in hæc verba: Credentes præterea, receptatores, defensores, & fautores hereticorum excommunicationi decernimus subiicere: firmiter statuente, ut postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum: ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, neque ad eligendos aliquos ad huiusmodi, neque ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, neque ad hereditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, neque causa aliqua ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si Tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti, sed cum Authore damnato dammentur: & in similibus idem precipimus obseruari. Si vero Clericus fuerit, ab omni officio, & Beneficio deponatur, ut in quo maior est culpa, gravior exerceatur vindicta. Si qui autem tales postquam ab Ecclesia fuerint denotati euitare contempserint, excommunicationis sententia usque ad satisfactionem idoneam percellantur. Sane Clerici non exhibeant huiusmodi persistentibus Ecclesiastica Sacramenta: nec eos Christiana presumant tradere sepultura, nec elemosynas, aut oblationes eorum percipiant: aliqui suo priuentur officio, ad quod nunquam restituuntur absque indulto Sedis Apostolicæ speciali. Similiter quilibet Regulares, quibus etiam hoc insigatur, ut eorum privilegia in illa Diocesi non seruentur, in qua tales excessus præsumperint perpetrare. Quæsierim ergo, an præfatas pœnas incurrant fautores hereticorum antequam ab Ecclesia denotati sint, & in excommunicatione publica per annum inforduerint?

438 Non incurrunt. Quia id indicat textus illis verbis: Postquam quis fuerit excommunicatione notatus, & per annum inforduerit: & illis, Ab Ecclesia fuerint denotati. Quæ omnia indicant excommunicationis publicationem, Sic Eymer. p. 3. q. 123. n. 2.

439 Distinguo de pœna infamiae, & incapacitatis Aliqui ex his ad testandum, & ad officia publica, & in his hic incurrunt. requiritur, per annum in excommunicatione infordescere; in reliquis vero pœnis spiritualibus, quales sunt priuatio Beneficiorum Ecclesiasticæ Sepulture, orationum, & oblationum, hanc perseverantiam, & publicationem excommunicationis non requiro. Ita Suarius de fide, disputatione 24. sessione prima, fine.

440 Ego autem existimo, ex vi præfati textus

& ratione excommunicationis, nullam ex prædictis pœnis fautores hereticorum incurrere nisi per annum in excommunicatione notati inforduerint. Quod indicant Eymer. cum loco allegato dixit, Non videntur alias pœnas incurrere ex eo quod sunt in excommunicatione per annum, nisi sic excommunicati notentur, & publicentur. Quasi diceret, & alio capite illos incurrere posse. Ideo enim dixi, Ex vi præfati textus, nam ex vi aliorum textuum eas pœnas incurrunt. Certe de pœna infamiae, priuationis officiorum, incapacitate ad testandum, & ad succedendum, tradit Farinac. de heresi. qu. 183. num. 59. 60. & 106. De Beneficiorum priuatione tradit, num. 40. & 107. præterquam quod priuatio Beneficiorum, quæ habentur, non sit ipso iure, sed per sententiam saltem declaratoriam, ut aliis allegatis, docet Pegna part. 3. Director. comment. 16. Farinac. qu. 189. num. 73. Ad alia vero obtinenda ipso iure inhabiles efficiuntur, ut constat ex cap. Quicumque, de heret. in 6. vers. Heretici. Limite tamen sententiam in sepultura Ecclesiastica, & orationibus gerendis pro fautore hereticorum. Quia eo ipso, quod confiter, aliquem fouendo hereticis decessisse, non debet inter Christianos Sepulturam obtinere, neque pro illo orationes fundi in peccato enim lethali, victus excommunicatione decessit, cap. Sicut, de heret. & cap. 2. eodem titulo, in 6. & ex Constitut. Innocentij I V. quæ incipit, Nouerit. Verum tamen hoc raro consistere poterit: nisi condemnatus sit.



CAPVT XXV.

Circa spirituales hereticorum pœnas.

DVBIVM XCV.

An sufficiat declarari aliquem esse hereticum, quin declaretur, esse excommunicatum, ut vitandus sit?



ERTVM est, hereticum esse ipso iure excommunicatum ex Cap. Cum Christus, initio. Cap. Ad oblationem. Cap. Excommunicamus, 1. & 2. de heret. cap. Nouerit, de sentent. excommunic. Excommunicatio autem lata in illis capitulis non erat Pontifici referuata, quæ tamen iam referuata est ex constitutione Bullæ Cœne clausul. 1. Debet autem heresis esse signo aliquo externo manifestata; nam pure mentalis Ecclesiæ iurisdictioni non subditur, quia Ecclesia visibilis est: subditur autem quilibet heresis externa quantumvis occulta. Certum etiam est, iure diuino nullam esse latam excommunicationem aduersus hereticos. Quia excommunicatio hæc consistit in participatione actiua, & passiuâ Sacramento- rum,

Autori
resoluit.

Non
est.

Suffi-
cient.

44
via m
pued

441
Nonnulla
premissa.

rum, communionem fidelium, ac Ecclesie suffragis: quibus omnibus iure diuino hereticus non magis priuatus, quam peccatores omnes existit. Porro hæc excommunicatio non constituit hereticum vitandum, quousque sit denunciatus ex *Extravag. Ad vitanda scelera*. In qua omnibus fidelibus fauor conceditur communicandi cum excommunicatis, qui expresse, & specialiter denunciati non fuerint, modo non sint manifesti Clerici percussores. Quæserim verò, num sufficiat declarari aliquem esse hereticum, quin declaratur, esse excommunicatum, vt sit vitandus.

⁴⁴¹ Dubitatio hæc magis est speculatiua quam practica; nunquam enim Iudices ita dimittunt in declaratione procedunt, vt exprimant delinquentis peccatum, & non censuram illi annexam. Sed casu, quo aliquando id contingeret; Non sufficit declarari aliquem esse hereticum, vt sit vitandus. Quia *Extravagans Ad vitanda* petit, vt censura sit declarata formaliter, & expresse: At declarato delicto, non est declarata formaliter, & expresse censura, sed solum virtualiter, & in radice: ergo non sufficit. Sic Sanchez libro secundo, *Decalogi capite nono, numero quarto*, Nauarra. *Miscellan. 47. de oration. numero 2. Graff. part. 1. Decis. libr. 4. cap. 1. num. 5.*

⁴⁴³ Sufficit quidem. Quia verba Extravagantis solum indicant declarationem fieri personæ delinquentis debere, quin de censura expresse mentio fiat. Inquit enim, non esse fidelibus obligationem vitandi excommunicatum, nisi sententia, vel censura, aut prohibitio contra personam certam à Iudice publicata, & denunciata fuerit formaliter, & expresse: ergo siue sententia, siue prohibitio, siue censura publicata sit, erit sufficiens, vt hereticus sit vitandus. Et quidem hic modus dicendi est fauorabilior fidei, in cuius obsequium leges penales extendi assolent. Ita Suario de *Censur. disputatione nona, sectione secunda, numero 10. & de fide, disputatione 21. sectione tertia, numero octauo*. Gutierrez, Manu. Medin. Sotus, quos allegat Sanchez *ubi supra. numero 4.*

⁴⁴⁴ Media via procedam. Nam si iudex declarat te esse hereticum, incurrisseque censuram ei crimini annexam, si censura sit excommunicationis, assero esse sufficienter declaratum, vt iuxta decretum Concilij Constantiensis declaratus, & publicatus sit. Quia Concilium solum petit declarationem formalem, & expressam Censuræ: sed illa est expressa, ac formalis declaratio Censuræ crimini annexæ, quamuis non sit declaratio expressior, ac formalior, quæ esse potest: ergo. Attamen non sufficere alicuius delictum, nisi censura declaretur, sic probò, destruendo fundamentum allatum pro Suario sententia. Ipse enim ex verbis Extravagantis Concilij Constantiensis inferebat, sufficere declarationem cuiuscunque rei, vel delicti, vel Censuræ: quod quidè minime inferatur. Andè precor Concilium Basiliense sess. 20. ad finem, referens enim extravagantem Concilij Constantiensis, inquit, *Ad vitanda scandala, & multa pericula, subueniendumque conscientijs timoratis, statuit etiam, quod nemo deinceps à communionem alicuius in Sacramento.* Elcob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

rum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque diuinis, vel extra prætextu cuiuscunque sententie, aut Censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à iure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictionem Ecclesiasticam observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit contra personam, Collegium, Universitatem Ecclesiam, aut locum certum à Iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expresse. Sensus clausulæ est, te non esse obligatum abstinere à communionem illius, qui per aliquam sententiam, vel mandatum, vel ratione alicuius suspensionis, aut alterius censure prohibitus est tecum communicare, nisi talis sententia mandatum, suspensio, censura denunciata, publicataque sit. Posita autem hac publicatione, & denunciatione videris obligatus, ab illius communicatio, ne abstinere. Ex his tamen non inferitur, te debere abstinere ab illo tanquam à nominatim excommunicato, cum verba Concilij non tam de excommunicatione, quam de alia quavis sententia, & mandato, suspensione; & censura loquamur.

DUBIUM XCV.

Quis citatus ad respondendum de fide, in integro anno in excommunicatione inforauerit, potestne mox post elapsum annum declarari esse hereticum?

⁴⁴⁵ Premitto Tridentinum sess. 25. capite 1. *Premitto* heretico. Excommunicatus quicumque, si post legitimas monitiones, &c. indurato animo Tridentinæ censuræ annexus in illis inforauerit procedi decretum posse contra eum tanquam de heresi suspectum, circa heretico. Comprehendit Concilium tam excommunicatos in excommunicatione ex causa criminali, quam ciuili. *communicatio*. Porro in materia fidei qui citatus ad relatione inforandum, nullo allegato impedimento, *descentes* neglexerit integro anno respondere, habetur pro confesso, & tanquam hereticus est condemnandus. Cap. Cum Contumacia, de heretic. in sexto. Quæ fierim vero, quanto tempore post annum huius contumaciæ, debeat Iudex expectare, vt reum condemnaret, seu declaret esse hereticum præsumptione iuris, & de iure? An mox post elapsam annum possit declarari esse hereticum?

Non potest mox, sed post triennium, ⁴⁴⁶ vel saltem biennium. Quia in Cap. Cum Non potest bone memoria, de atate, & qualitate, ob mox post perseverantiam triennalem priuatus fuit annum elapsi. Clericus Beneficii. Et cap. Grauem ultim. plurim declar. de penis, biennium videtur in laico ex-rari. postulat. Sic Abbas capite primo, numero 23. vers. Fateor, de iudic. Alciat. ibi, numero trigesimo septimo.

Potest equidem mox post annum elapsam ⁴⁴⁷ declarari esse hereticum, & condemnari. Quia id ex Cap. Cum contumacia præfato, aperte *Declarari* mox potest colligitur.

62 Theologiæ Moralis Liber XLVII.

colligitur ibi, Cum contumacia in causa presertim fidei suspicioni presumptionem adiciat vehementem, si suspectus de heresi vocatus à vobis, ut de fide respondeat, excommunicationis vinculo pro eo, quod parere subterfugit, aut contumaciter se absentat per vos fuerit innodatus: quamvis per annum animo sustineat pertinaci, ex tunc velut hereticus condemnatur. Vbi verbum, Ex tunc clare denotat, mox post anni integri obfurditatem, posse hereticum declarari, at puniri. Ita multis allegatis. Eymer. part. 2. Director. question. 47. num. 6. Menoch. lib. 2. de arbitrar. casu 416. numero 65. Salcedo capite 116. practice sine. Fernandez de Castro de fide. tractat. 4. dubio 4. puncto secundo, numero nono.

448
Id arbitrio
Iudicii re-
linquendum
esse iudico.

Tenendum reor, Iudicis arbitrio id esse relictum. Quia nullo textu video caueri hanc expectandi post completum annum obligationem. Neque enim id suadent allegati pro prima sententia textus; nam referunt, quid factum sit, non autem inducunt dispositionem. Aduerto tamen cum Farinacio de heresi, question. 19. numer. 22. apte agere Iudicem elapso aliquo tempore post annum, si iterum citet rebellem, ad allegandum, quare tanto tempore in excommunicatione infortuerit. Quod si vitime huic citationi etiam se rebellem præstiterit, tunc ut hereticus est condemnandus, neque amplius expectari oportet.

DUBIUM XCVI.

An nomine Episcopi, qui possit in foro conscientie de occulto crimine heresis absolueret, intelligendum sit Sede vacante Capitulum?

449
Præmittit
Tridentini
indultum
datum E.
piscopis, ad
heresis oc-
culte abso-
lutionem.

Tridentinum præmittit sess. 24. cap. 6. profantem, Licet Episcopis in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolica reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Diocesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientie gratis absolueret, imposita poenitentia saluari. Idem in heresi criminis in eodem foro conscientie, eis tamen, non eorum Vicariis sit permissum. Nomine Episcopi, cui hæc facultas commissa est, sunt intelligendi omnes illi, qui subditos habent; quia respectu subditorum facultas impenditur. Vnde debent esse Episcopi electi, & confirmati; ante confirmationem enim iurisdictione non potiuntur; non tamen necessarium est, esse consecratos; imo neque esse Sacerdotes, ut possint ab excommunicatione reſervata absolueret; quia non debet absolutio Sacramentalis impendi. Sanchez libro secundo, Decalogi capite undecimo, numero tertio, Barbosa parte secunda, de potest. Episcop. allegat. 39. numero secundo, citans alios. Requiritur autem necessarium, ut sint Episcopi illarum Regionum, in quibus receptum est Concilium, alias ut non poterunt hac facultate, nam media receptione, & acceptatione illis conceditur: neque fas est, acceptare gratias, & onera repellere. Sanchez, num. 2. Barbosa num. 3. Garcia de Benefic. part. 7. cap. 11. num. 23. Suarius de Censur. d. 42. sect. 2.

num. 6. His præmissis, quaſierim, num Capitulum Sede vacante, nomine Episcopi sit intelligendum?

Intelligendum venit. Quia Capitulum succedit Episcopo, & sicut Episcopus potest delegare potestatem absolueret ab heresi, sic potest, & Capitulum. Et quia Capitulum potest maiorem partis suffragiis determinare, hereticum absolueret: ergo potest illum absolueret. Sic Sanchez l. 2. Decal. c. 11. n. 4.

Non venit intelligendum. Quia Concilium solis Episcopis non eorum Vicariis hanc absolueret facultatem concedit. Cum autem Capitulum iurisdictionem exerceat per Vicarium deputatum, non apparet, quare ratione possit potestatem absolueret ab heresi gaudere. Ita Suarez, tom. 4. de poenit. d. 30. section. 2. numero 4. Ledesma, tom. 2. summ. tractat. 1. cap. 6. post 20. concl. diff. cultat. 5. Bonacin, de censur. disput. 7. question. 5. punct. 1.

Probabilius existimo, nullatenus posse Capitulum ab heresi absolueret. Quia non potest absolueret per Vicarium, quod præcavit Concilium; neque etiam absolueret potest per se ipsum. Nam ut per se ipsum absolueret, debet delictum integre cognoscere: cognitio autem delicti à Capitulo, iam non occultum, sed publicum; ergo cessat Tridentini facultas, quæ solum pro delictis occultis impenditur.

DUBIUM XCVII.

An intelligendi sint nomine Episcopi ad effectum absolueret à crimine occulto heresis Abbates, & alij Prælati inferiores, iurisdictionem ordinariam, & quæ Episcopalem sua in Diocesi habentes?

Intelligendi non sunt. Quia hoc est à Tridentino concessum iure speciali Episcopis ob eorum dignitatem: ergo extendendum non debet ad alios tali dignitate carentes. Hæc facultas derogat iuri communi: ergo ex hac parte limitanda est, ut nomine Episcopi solum veniant intelligendi, qui propriè Episcopi sunt. Sic Toletus lib. 1. cap. 83. num. 5. Suarius de poenit. disputat. 30. section. 2. numero 6. Garcia de Benefic. part. 7. cap. 11. num. 13. & 17. Bonacina d. 7. de Censur. question. 5. punct. 1. num. 6. Barbosa pluribus relatis, part. 2. de potest. Episc. allegat. 39. num. 17. Cenedo in Collect. ad 6. collect. 4. numero quinto.

Sunt intelligendi nomine Episcopi. Quia potestas hæc absolueret in hoc decreto Episcopis concessa ad iurisdictionem pertinet: sed huiusmodi Abbates, & Prælati iurisdictione Episcopali gaudent, solumque ab Episcopis in consecratione differunt: Ergo nomine Episcopi intelligendi sunt. Ita Sayrus in Clavi, lib. 6. cap. 11. num. 8. Auila de Censur. p. 7. d. 10. dub. 6. Henricus lib. 6. cap. 6. §. 1. Flores de Mena variar. li. 3. qu. 24. num. 18. generaliter loquuti. De casu autem heresis Sanchez lib. 2. Decal. cap. 11. num. 5. Manuel, tom. 2. summ. cap. 10. num. 6. concl. 6. Palao de fide, tractat. 4. disputat. 4. punct. 3. §. 1. numero 4.

Satis

Seçtio II. De Fide Dubia.

63

455
Probabilior
mihi. Satis probabilem primam sententiam esse
reor, sed probabiliorum iudicio esse secundam.
Hæc enim facultas latè est interpretanda, quia
est inserta in corpore iuris, & ius commune
constituit, et quidem in materia abolitionis
reducit rem ad pristinum statum, in quo nulla
etiam pro crimine hæresis erat referuatio. Item
est concessa non personæ, sed dignitati, in
quibus casibus certum mihi latissimam esse in-
terpretationem faciendam.

DUBIUM XCVIII.

An Prelati Regulares etiam Conuentuales exemptorum Ordinum intelligantur, Episcopi nomine ad potestatem absolvendi ab hæresi occulta ex decreto Tridentin.

436 *Intelliguntur nomine Episcopi.* **N**omine *Episcopi* intelliguntur. Quia i*urisdictionem* quasi Episcopalem habent. Ergo ex Tridentini decreto competit eis praefata facultas. Sic Manu. tom. 1. qq. Regul. q. 61. a. 9.

417
non intel-
liguntur.
 Nominē *Episcopi* non intelliguntur ex de-
 creto Concilij. Quia illis videtur esse concessa
 huiusmodi facultas, quā *Dioecesi* habent, vt
 constat ex illis verbis. *Pro Dioecesi sua* : fed vt
 Prelati non habent *Dioecesim* : ergo non vi-
 dentur in hac potestate comprehendī. Ita Sā-
 chez l. 2. *Decal. c. 11. n. 7.* Garcia de *Benef. p. 7. c.*
11. n. 13. afferens à Cardinalium Congregatio-
 ne esse decisum. Barbof. p. 2. de potest. *Episc. al-*
legat. p. 9. n. 18.

458 Cum his fentio. Sed tamen, licet in facultate à Tridentino concessa non comprehendantur, comprehenduntur ex particulari extensione, quam Pius V. fecit. Nam in quodam Mota proprio relato à Manuele rom. 1. 99. Reg. lib. 1. a. 9. Sic habetur: *Quia Sacrum concilium Concilium generale Tridentinum concessit Episcopis, ut absolvere possent in foro animæ, seu conscientia ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout sess. 24. cap. 6. habetur* ne Prior, Provincialis, & Superiores Prelati dicti Ordinis tam in dicta Provincia, quam extra eam ubilibet in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici, aut secularis existant: eisdem Priori Conventuali, & superioribus Prelatis, ut ipsi per se ipsos eidem omnino possint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quoad absolvendi, & dispensandi huiusmodi, quam alias quacunque facultates eisdem auctoritate, tenore etiam perpetuo concedimus, & indulgemus, atque etiam declaramus, presentes literas perpetuo durare, & valere. Sanchez lib. 8. de matrimonio d. 2. num. 13. Henriquez lib. 6. cap. 16. §. 8. & lib. 7. cap. 2. §. 2. & lib. 4. cap. vrim. §. 5. ad finem. Licet autem Sanchez lib. 2. Decalog. cap. 11. nu. 7. limite hanc facultatem in crimine hæresis, cuius absolutio ab eius gravitate non censetur concessa, nisi exprimitur: at in huiusmodi privilegio non exprimitur, sed solum, exprimuntur generaliter, quæ Episcopis in illo decreto conceduntur. Ergo licet in illo decreto absolutio ab hæresi expresse concedatur Episcopis, Prelatis Regularibus concessa non censetur. *Efcobar, & Mendoza, Theol. Moral. Tom. VI.*

setur. At tanti Doctoris mei venia, credo con-
cedi. Quia licet hæresis absolutio verbis ex-
pressis non concedatur, æquialentibus conce-
ditur. Dicitur enim, vt possint tales Prelati in
sibi subditos idem omnino, ac possunt Episco-
pi, quod verum non esset, si facultas absolu-
endi ab hæresi eis data non esset. Verum qui-
d sit de hac concessione certissimum est,
præcipue in Hispania, nullatenus posse Prae-
latos etiam in foro conscientie Religiosos sibi
subditos absolueresed Inquisitoribus remitte-
re debere, ex *confissu*. Pauli V. quam refert
Emanuel de Villedemura de *Incantationib. ex*
Ensalme sect. 3. c. 1. n. 10. Cuius meminit Barbo-
p. 2. de *potest. Episc. allegat.* 40. n. 39.

D V B I V M XCIX.

*An Episcopus, si in heresim labatur, possit
præfæto Tridentini indulto
absolui?*

Non potest absolui. Quia se ipsū absoluer
nequit, sed id debet facere Cōfessarius ab
eo electus : At ipse circa crimen hæresis non
potest vices suas alteri committere; (de quo in
ferius.) ergo neque poterit committere Con
fessario , vt illum absoluat. Sic Docti quidam,
nimium tamen scrupulosi.

459
*Abfolui nō
potest.*

Abfolui potest. Quia Confessor episcopi
habet respectu episcopi eam facultatem ab-
soluendi, & dispensandi, quam habet episco-
pus respectu suorum subditorum, ne episcopos
deterioris conditionis suis omnibus subditis
existeret. Ita Ferdinandez de Castro de fide, tr.
4. d. 4. pun. 3. §. 1. n. 9. Sanchez lib. 2. Decalog. ca-
pite vnderimo, numero vndecimo, Barbola in
Remif. Concil. super hoc decretum, ver. In Dia-
cesi sua.

Hoc tenendum existimo. Nam ex vi huius concessionis iam casus occultæ hæresis Pontifici reservati non sunt, siquidem Episcopus habet potestatem illos absolvendi: sed cum casus episcopi reservati non sunt, potest Confessarius Episcopi ex facultate sibi à iure concessa Episcopum ab illis absolovere: ergo.

D V B I V M C.

*An verba illa Concilij, In Dicecesi sua,
sint restrictiva facultatis Episcopo con-
cessa ad absolvendos ab haeresi occulta
subditos?*

Restrictiva non sunt, sed potius quasi illius
extensiva. Quia comprehendunt subditos
qui verè subditi sunt, ratione domicilij, siue
existant in Diocesi, siue extra: & etiam sub-
ditos, qui solum ratione transitus in Diocesi
commorantur. Unde potest Episcopus virtute
huius facultatis absolvere ab hæresi, reliquis-
que censuris subditum existentem in alie-
na Diocesi, etiam si ipse Episcopus extra Dio-
cesim

cessum addit. Quia requiri in primis non potest, ut uterque Episcopus scilicet, & subditus in Diocesi existant: esset enim Concilij privilegium nimis coarctare. Deinde requiri non potest, ut Episcopus in Diocesi propria existat, ut subditum à censuris absoluat; quia hæc absolutio est voluntariæ iurisdictionis exercitium, quod vbi libet erga subditos fieri potest. Ut ergo intelligeremus, Concilium hanc iurisdictionem voluntariam limitasse, verbis clarioribus uti debebat, sicuti gessit sess. 6. cap. 5. cum dixit: *Nulli Episcopo liceat, Pontificalia in alterius Diocesi exercere.* Tandem requiri non potest, ut subditus in Diocesi propria existat; quia verba illa, *In Diocesi sua* non possunt ad subditos referri: alias non diceret, *In sua*, sed *in eorum Diocesi*. Item Concilium apposuit virgulam diuidentem subditos à Diocesi sua. Dixit enim, *Licet Episcopis, quoscunque sibi subditos in Diocesi sua absolueret.* Sic Sanchez l. 2. Decal. ca. 11. num. 17. Barbosa in Remiss. Concil. super hunc locum.

463 Sunt quidem restrictiua facultatis absoluendi. Quia illa verba ibidem apposita, *In foro conscientie*, limitatoria sunt; nam ex illorum non prodest absolutio pro foro externo: ergo etiam sunt restrictiua, aut limitatoria ea verba, *In Diocesi sua*. Adde, nullam clausulam debere, imo neque ullam syllabam. Sanchez lib. 3. de matrimon. d. 46. num. 6. Sed superfluerent illa verba, si potestas absoluendi non limitaretur, vel ad subditos existentes in propria Diocesi Episcopi, vel ad episcopum existentem in sua Diocesi: ergo ad vnum è duobus est limitanda. Minor probatio. Nam concessa Episcopis facultas absoluendi à censuris, potest absolueri quemcumque subditum quomodocumque sit subditus, vel ratione domicilij, vel ratione habitationis: ita ut si sit subditus ratione domicilij, potest absolueri illum vbi libet existentem, quia non amittit subiectionem; si sit subditus ratione habitationis, dum actu habitat, quia tunc est subditus: ergo illa verba, *In Diocesi sua*, nihil operantur: ergo superflua sunt. Hoc autem dicendum non est. Igitur est dicendum, limitationem esse facultatis absoluendi ad vnam è duobus, vel ad subditos existentes in sua Diocesi, vel ad se ipsum in sua Diocesi existentem. Ita Fernandez de Castro de fide, tractat. 4. d. 4. punct. 3. §. 1. numer. 12. Suarius de censur. disputatione 41. sectione secunda, numero undecimo, asserens limitandam esse ad subditos.

464 Ego quidem utriusque adhæreo ex quo capite docent particulam esse limitatorem. At à Suario recedo, & Ferdinandum de Castro imitor, ex quo capite asserit, illa verba referenda esse ad Episcopos absolventes, & ex illis esse limitanda, ita ut Episcopus extra propriam Diocesim existens non possit uti hac facultate sibi concessa; sed necessario debeat existere in sua Diocesi, ut illam valeat exercere. Moneor, quia illa verba, *In Diocesi sua*, non possunt ad subditos commode referri. Et ratio congruentia efficacius in Prælati, quam in subditis procedit: magis enim pax, & concordia in Prælati offendi potest, ex eo quod quis utatur extra propriam Diocesim existens potestate absoluendi sibi concessa, quam ex eo quod existens in propria, subditos alibi existentes ab-

solvat. Nec hoc est derogare iuri communi ex voluntariæ iurisdictionis exercitio, quod vbi libet potest exerceri: sicut non est derogatio iuris communis, & facultatis absoluendi, quod absolutio solum pro foro conscientie proficit.

DUBIUM CI.

Delictum hæresis occultum, ad cuius absolutionem Episcopus habet potestatem, estne illud, quod vere probari non possit?

Q Varta particula indulti Concilij est, *Ut delictum occultum sit, neque ad forum contentiosum deductum.* Certe occultum dicitur à dicitur. Concilio, quod vere non potest probari: ac proinde distinguitur contra probabile. Quia si probari potest, clarè indicatur esse aliquibus manifestum: unde occultum non est. Sic Garcia de Benefic. parte septima, capite 11. numero sexagesimo sexto. Graff. tomo secundo, consil. tit. de homicidio, consil. 2. numero 20. Gutierrez libro primo, Canonice, cap. 13. num. 27. Manuel. in addit. ad Bullam, §. 9. numero 69. & alij.

Non dicitur occultum, quod vere non potest probari, sed quod distinguitur à notorio publico, vel famoso. Quapropter etiam si delictum ab aliquibus sciatur, (vnde probari valeat) modo non sciatur à maiori parte vicinæ, vel Collegij, in qua sint ad minus decem persone neque in iudicium sit deductum: occultum debet dici. Quia si nomine occultum delictum, quod in iudicio probari posset, intelligeretur, inutiliter expositulavit Concilium, ad forum contentiosum non esse deductum, cum sufficiens erat posse deduci. Ita, pluribus relatis, Sanchez l. 2. de matrimon. d. 38. n. 11. & l. 8. d. 34. n. 5. & l. 2. Decal. c. 11. n. 19. Azor. p. 2. l. 8. c. 1. q. 9. Bonac. de censur. d. 1. q. 3. punct. 2. numero 1. Molina de iust. tr. 3. d. 79. n. 6. Barbosa plurimos referens, p. 2. de potestate Episc. allegat. 39. numero 24.

His adhæreo Doctoribus annotans, delictum debere in ratione delicti esse occultum. Quod aduerto, quia contingere potest, aliquem excommunicatum ministrare publicè Sacramenta, at publicum non esse ligatum excommunicatione illa ministrasse: & tunc delictum occultum omnino erit. Sà v. Episcopus, num. 35. Sanchez l. 8. de matr. d. 34. num. 56.

DUBIUM CII.

Si delictum ad forum contentiosum deductum sit, & ibi punisum: poteritne Episcopus, tunc absolueret, vel impedimento inde proveniente dispensare?

P Oterit quidem. Quia finis Concilij in hac Potestatis reservatione cessat, reservavit enim delicta

Sectio II. De Fide, Dubia. 56

delicta publica, & deducta ad contentiosum forum, ne Episcopi absolutione satisfactio publica pro delictis publicis exhibenda, impeditur: at iudicio finito, & publica satisfactio exhibita, cessat hic finis: ergo poterit Episcopus reum absolvere. Sic Sanchez lib. 2. Decalog. c. 11. n. 21. Henriquez lib. 14. de irregul. c. 7. n. 5. Avila de Censur. parte secunda, dubio septimo, & parte septima, disputation. 10. dub. 7. Reginald. libr. 30. numero 29.

469 Minime potest. Quia evidens est, illud delictum notorium esse, & publicum: siquidem est in iudicio probatum: ea autem, quae sic probata sunt, notoria sunt. Idem est cum ad forum contentiosum deductum est, siquidem ibi est probatum, & punitum: ergo sub hoc privilegio non comprehenditur. Probo consequentiam. Quia privilegium est de delicto occulto, nec ad forum contentiosum deducto: quod in hoc delicto verificari nequit. Item absolutio, quae in illo indulto conceditur, est solum pro foro conscientiae: at delictum sic manifestum, & publicum non solum indiget absolutione pro foro conscientiae, sed etiam pro exteriori: ergo sub hac concessione tale delictum non fuit comprehensum. Ita Suarez de Censur. disp. 41. section. 2. num. 5. Gutierrez libr. 1. Canon. q. 7. cap. 3. ad finem. Bonacin. de Censur. disp. 1. quest. 3. punct. 2. num. 1. & disp. 7. quest. 5. puncto primo numero quinto. Barbosa parte secunda, de potest. Episcop. allegat. 39. numero sexagesimo primo.

470 Probabiliorem plane sententiam hanc defendo. Quia esto admittamus, in illo delicto esse satisfactum intentioni Concilij negantis absolutionem delicti publici, & ad forum contentiosum deducti: non inde inferitur, posse Episcopum in eius absolutione se intromittere, nisi à Pontifice fuerit concessum. Cum autem sub verbis concessionis illa delicta non comprehendantur, ad illa se extendere non potest. Certe ratio primae sententiae hanc probat optime convenire, ut Pontifex Episcopis hanc impendat facultatem, non tamen probat esse concessam.

DUBIUM CIII.

An absolutio haereticis, possit ab Episcopo alteri committi?

471 Potest committi. Quia potestas haec absoluendi ab haeresi commissam est Episcopis praesentibus, & futuris in perpetuum: sed quando aliquis sic conceditur, non eligitur industria personae, sed officij, ac dignitatis, ut tradit Iason. ad leg. More minorum, num. 65. Digestis, de iurisd. omn. Iudic. Menoch. de arbitrar. l. 1. quest. 64. num. 17. Gregorius Lopez leg. 47. titul. 18. part. 3. Ergo de se delegabilis est. Sed ex supra dictis verbis Concilij haec delegandi potestas non ita restringitur, & limitatur, ut nullo modo delegari valeat: ergo. Minorem probo. Nam Concilium solum excludit Vicarium ad id specialiter deputatum: sed hoc intelligi potest de Vicario specialiter deputato Eschob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

ad casus haereticos contingentes: non de Vicario specialiter deputato ad unicum casum tunc accidentem: ergo ille quasi generalis Vicarius erit exclusus, non autem hic specialissimus. Sic Sa verb. Episcopus, num. 37. Sanchez lib. 2. Decalog. c. 11. num. 1. Nauarra lib. 1. Consil. titul. de constitution. consil. 1. q. ultim. num. 89. Azorius tom. 1. lib. 8. c. 10. q. 11. Corduba summ. quest. 8. Henriquez libr. 6. de poenit. capite 14. numero septimo. Manuel questionum Regularium, qu. 30. artic. 11.

Committi non potest. Quia in hac absolutione ille Vicarius est exclusus, qui admissus fuit in absolutione à reliquis casibus reservatis, ut ex contextu videtur constare: sed pro reliquorum casuum absolutione quilibet Vicarius siue generalis siue specialis deputari potest, ut Sanchez pro prima sententia citatus admittit: ergo pro absolutione haereticis quilibet erit exclusus. Ita Petr. Molina tr. 5. de iustit. d. 18. n. 2. Gutierrez l. 1. Canon. q. 7. c. 13. num. 9. Garcia de Benef. p. 1. c. 10. num. 113. Lorea 2. 2. d. 45. n. 11. Suarez de poenit. d. 30. section. 4. num. 8. & alij.

Licet prima sententia satis mihi probabilis sit, longe probabilior reputo, omnem Vicarium esse exclusum, ac proinde non posse Episcopum per alium, quam per se ipsum ab haeresi absolvere, neque in hac restrictione committitur vlla iuris communis derogatio. Siquidem Episcopi non habent à iure communi potestatem absoluendi à reservatis Pontifici. Cum ergo eis impenditur talis facultas, limitari, coartarique poterit à Pontifice, ut solum ipsis proferat, non aliis: quod non est Episcoporum iuri derogare, sed beneficium limitate concedere.

DUBIUM CIV.

Potestas absoluendi ab haeresi concessa Episcopis à Tridentino estne per clausulam Bullae Cœne reuocata?

472 In ultima Clausula Bullae Cœne sic habetur: [Ceterum à praedictis sententiis nullos per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, neque etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae mandatis, & satisfaciendo cautione praestita, absolvi potest, etiam praetextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscumque personis Ecclesiasticis, saecularium, & quorumvis Ordinum, etiam mendicantium, ac militarium, Regularibus etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate praeditis.] Et additur excommunicatio adversus eos, qui sic absolvere praesumpserint. Sic Gregorius XV. & Urbanus VIII. in suis Bullis. Quæstio itaque est, num potestas absoluendi ab haeresi concessa Episcopis à Tridentino, sit per hanc clausulam Bullae Cœne reuocata?

475 Ex vi huius clausulae reuocata non est. Quia correctio iuris vitanda est, quoad fieri possit, sed absque correctione iuris Tridentini stare potest clausula Bullae reuocans facultates, quibus

472 Committi non potest.

473 Probabilior reor esse hanc sententiam.

474 Recolo Bullae clausulam ad statum questionis.

475 Ex vi clausulae non est reuocata.

66 Theologiae Moralis. Liber XLVII.

quibus absolutio poterat impendi: ergo affirmandum est, clausulam Bullae Cœnæ præfatae Tridentini facultatem non reuocare. Minorem probo. Quia Bulla optime potest intelligi de peccatis publicis, & de absolutione, quæ non solum pro foro conscientiae, sed etiam pro externo, proficit: siquidem nihil in Bulla habetur, quæ cogat nos, de peccatis occultis, & de foro conscientiae reuocationem intelligere. Sensus ergo Bullæ est, ut nullus possit absolui absolutione proficiente in foro externo, vel à peccatis publicis prætextu privilegiorum, &c. Quod si hoc modo intelligatur, manet integrum Tridentini decretum. Nam Tridentinum concedit solum absolutionem casus occultis, & pro conscientiae foro. Ergo si Bulla reuocat casus publicos, & absolutionem proficientem in foro externo, non immutat, nec corrigit Tridentini decretum. Igitur hæc explicatio sustinenda est, ut iuris correctio vitetur. Sic Bannes 2. 2. q. 11. a. 4. dub. 2. post 2. concl. artic. 3. Aragon. ibi. artic. 3. Nauarra summ. cap. 17. num. 260. Gutierrez 99. Canon. lib. 1. cap. 13. ad finem. Henriquez lib. 6. de pen. cap. 14. num. 7. Lorca 2. 2. d. 45. num. 10. Et Suarez de censur. d. 21. section. 3. num. 5. probabiliter reputat.

476 Ex vi huius clausulæ est reuocata. Quia ex vi claus. negari non potest, privilegium à Concilio solum concessum Episcopis à Pontifice posse derogari: sed ex præfatis Bullæ verbis facis colligitur, fuisse derogatum: ergo. Minorem probo. Nam Pontifex prohibet, ne detur absolutio hæresis, & reliquorum casuum in Bulla Contentorum prætextu privilegiorum, quæ Episcopis, Religiosis, Conuentibus, &c. concessa sint à Sede Apostolica etiam decreto alicuius Concilij: sed nullum Concilium nisi Tridentinum hanc facultatem absoluerit ab hæresi, reliquisque casibus reuocatis concessit: ergo hanc facultatem, quæ in hoc Concilio conceditur intendit Pontifex reuocare: alias superfluerent verba illa, *Alicuius Concilij decreta*. Ita Suarez de penit. disputat. 30. section. 2. num. 11. Pegna Director. part. 3. comment. 141. post qu. 9. 2. Tule. de visitat. lib. 2. cap. 31. n. 5. & cap. 23. num. 4. Antonin. Genuens. in praxi Archiepiscop. Neapolitan. cap. 67. num. 10. ubi testatur, Gregorium XIII. & Clementem VIII. sic declarasse. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 19. qu. 3. & cap. 20. qu. 10. Garcia de Benefic. part. 11. cap. 10. num. 122. Barbosa plures referens part. 2. de potest. Episcop. allegat. 40. numero 25. Sanchez lib. 2. Decalogi cap. 11. fine. Palao de fide, tractat. 4. disputat. 4. punct. 3. Paragraph. 1. num. 22. Farinac. de hæresi. qu. 192. num. 61. Bonacin. de Censur. disputat. 1. q. 3. puncto 2. numero 1. & alij.

477 Hanc sententiam ut longe probabiliorem tenendam esse iudico. Præcipuum fundamentum, quo mouetur est tantorum virorum auctoritas, quæ in re morali magni est habenda. Quod si huic auctoritati efficax ratio accedat, omnino sequenda obicitur. Fortissimam autem existimo esse rationem, qua nostra sententia nititur. Cui quidem adiecerim, non videri necessarium ad derogandum privilegio ac constitutioni Tridentini, ipsius fieri expresse mentionem. Siquidem ipsum sess. 25. cap.

21. in fine Concilij excipit auctoritatem Pontificis in suis decretis, dicitque, se velle, ut robar habeant, dum Pontifici placuerit, & non ultra inquit enim, *Sacra Synodus omnia, & singula sub quibuscumque clausulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque de Ecclesiastica disciplina, ita sub felicitis recordationis Paulo III. ac Iulio IV. quam sub Beatissimo Pio IV. Pontificibus maximis in hoc Sancto Concilio statuta sunt, declarat, ea decreta fuisse, ut in his salua semper auctoritas Sedis Apostolica sit, & esse intelligatur*. Ergo cum Pontifex suam auctoritatem interponit, ne vllus ab hæresi, reliquisque in Bulla contentis absoluator, non debet dici reuocare privilegium in Tridentino concessum, sed ipsum Tridentini privilegium cessare, quia cessauit conditio sub qua fuit concessum.

DUBIUM CV.

An Domini Inquisitores possint, in foro conscientie ab hæresi absolueret?

Commissa est eis facultas absoluerendi hæreticos penitentes pro foro externo, cap. 478. *Ut officium, de hæresi in 6.* & pluribus Bullis relatis à Pegna Director. fine, quorum meminit Farinac. de hæresi. qu. 192. num. 54. Questio autem est, an in foro conscientie possint etiam ab hæresi absolueret?

Possunt quidem. Quia in Bulla Clementis VII. edita anno 1530. quæ incipit, *Cum scitis, Possunt qui* (8. refertur à Pegna inter Bullas illius Pontificis in fine Director.) datur facultas Inquisitoribus, & eorum Commissariis absoluerendi hæreticos occultos, neque ab illo Iudice prius extra iudicialiter inquisitos: ergo est data eis facultas, in foro conscientie absolueret. Consequentiam probo. Quia absolueret iudicialiter, seu pro foro externo, non solum occultos hæreticos penitentes, & voluntarie misericordiam expostulantes licet Inquisitoribus cap. 479. *Ut officium, & ex aliis textibus*: sed etiam publicos hæreticos, & ad iudicium venire compulso: ergo aliquid speciale hæc constitutio concedere Inquisitoribus intendebat. Non autem videtur esse aliud nisi pro foro conscientie absolutionem. Neque obstat, præfata Bullam specialiter dirigi ad Ordinis prædicatorum Inquisitores in Lombardia existentibus, imò videri esse specialem commissionem factam personis, & non dignitati. Quia esto ex tenore Bullæ sic appareat, consuetudine receptum est, ad omnes Inquisitores extendi. Sic Nauarra libro quinto. Consil. titul. de privileg. consil. 11. Campeggi ad cap. 34. Sanchez de hæresi. vers. Cum itaque. Bannes 2. 2. question. 11. articulo quarto, dubio secundo, post tertium argumentum. Gutierrez Canon. 99. libro primo, capite 13. numero septimo. Vinaldus Candelab. parte prima, titulo 11. de absolut. numero 15. testatur praxim ita ferre Manuel. in Bulla Paragrapho nono, numero 70. Eymer. parte tertia, Director. numero sexagesimo primo. Alij plures

res apud Sancium libro secundo Dealog. capit. 12. numero primo. Ipleque hanc sententiam numero tertio probabilem esse facit.

480 Non possunt. Quia Inquisitores neque ex vi muneris, neque ex aliquo privilegio neque ex consuetudine habent potestatem pro soloscscientia foro absolendi: Ergo gratiis huiusmodi facultas asseritur. Antecedens probat. Munus Inquisitoris est, delicta inquirere, & iudicialiter ponere delinquentes: est enim Iudex pro foro externo constitutus. Ergo ex vi muneris hanc facultatem absolendi ab heresi pro foro conscientia non habet. Ex privilegio autem non videtur illam habere: nullum enim aliud refertur, nisi contentum in Bulla illa Clementis V I I. Sed illud nec loquitur de omnibus Inquisitoribus, sed solum de Inquisitoribus Ordinis Prædicatorum in Lombardia residentibus, & illo tempore præsentibus: & concessio, ad omnes extendi non loquitur de absolutione fori conscientia, sed externi; quia non committit facultatem absolendi, nisi præstito iuramento, & heresi abiurata: quæ conditiones pro foro interno non videbantur necessariae. Ita Sanchez citatus numero tertio Farinac. de heresi, quæstion. 192. numer. 54. Castro Palao de fide, tract. 4. d. 4. p. 3. §. 2. numero tertio. Suar. de fide, dub. 21. sect. 4. num. 15. Garc. de Benef. p. 11. cap. 10. num. 121. Barbosa p. 2. de potest. Episc. alleg. 40. numer. 28.

481 Primam sententiam satis probabilem esse iudico tot Doctorum auctoritati hærentem secundam vero probabiliorē esse iudico. Quia verbum illud Bullæ *Extrajudicialiter* non videtur. Nam, ut Barbosa numer. 27. testatur, ut sæpe declaratum est in supremo Inquisitionis Tribunali Romano, verbum id *extrajudicialiter* non tollere formam iudicii, scilicet depositionem coram Notario; & testibus, vel saltem coram Notario tantum: sed tollere solemnitatem iudicii, quæ consistit in eo, quod plures iudicio adsint, pluribusque iudicium innotescat: Ergo facultas Inquisitoribus data, ut *extrajudicialiter* hereticos poenitentes, & à nullo Iudice inquisitos absolvere possint, in eo consistit, ut possint ad secretam oblationem, & secretam poenitentiam eosmittere: non tamen, quod pro solo conscientia foro absolvere valeant. Cæterum ex consuetudine contrarium omnino constat; nunquam enim Inquisitores nisi coram Secretario poenitentem hereticum volunt audire. Adde Cardinalium declarationem relatum à Barbosa ad ses. 24. capite sexto Concil. numero septimo. in hæc verba: *Episcopus, aut Inquisitor absolvere iam non possunt hominem hereticum in foro conscientia, licet hæc facultas à Concilio sit ipsi data.*

D V B I V M C V I.

Sub facultate generali, quam per Bullam, vel Iubilæum Pontifex concedit absolendi ab omnibus reservatis, etiam in Bulla Cœnæ: venitne intelligendum crimen heresis in illa contentum?

Pontifex aliquando Iubilæum concedit cum facultate absolendi ab omnibus sibi reservatis, nec exprimit reservata in Bulla Cœnæ: aliquando ea exprimit, heresi non expressa: aliquando vero & heresim exprimit. Quæsierim igitur, num sub facultate illa generali absolendi ab omnibus reservatis, comprehendantur reservata in Bulla Cœnæ etiam si non exprimantur: & sub facultate generali absolendi ab omnibus reservatis in Bulla Cœnæ, etiam crimen heresis ibi contentum veniat intelligendum?

Intelligendum venit. Quia beneficii Principis late est interpretandum, præcipue cum eius lata interpretatio proprietatem verborum non excedit: At sub reservatis à Pontifice comprehendere contenta in Bulla Cœnæ & sub contentis in Bulla Cœnæ comprehendere heresim, non est verborum proprietatem excedere; sed potius verborum proprietati conformari: Ergo. Item in reservatione alicuius casus Pontificij non datur magis, vel minus: siquidem integrè consistit in eo, quod nemini alteri à Pontifice sit facultas ab eo absolendi, si igitur datur facultas absolendi ab omnibus reservatis Pontifici, non est vlla ratio, quare aliqui casus reservati ab illa generali concessione excipiantur. Sic Sotus in 4. dist. 22. qu. 3. artic. 1. concl. 5. Corduba summ. qu. 8. Lorca 2. 2. qu. 2. artic. 5. numer. 13. Farin. de heresi, quæst. 192. numer. 63. Pegna Direct. p. 3. comment. 25. ver. Quod si quis, Reginal. lib. 8. numer. 55. Garcia alios referens part. 11. de Benef. capit. 10. numer. 110. Et probabile reputat Suar. de Censur. d. 7. sect. 5. n. 12.

Non venit intelligendum. Quia ex stylo Romanæ Curia sub illa generali facultate absolendi à reservatis non comprehenduntur contenta in Bulla Cœnæ: neque sub generali facultate absolendi à casibus in Bulla Cœnæ expressis heresis comprehenditur: Ergo non est licitum ad eam concessionem extendere; nam concessio extendi non potest ultra voluntatem, & intentionem manifestam cœcedentis. Quod verò hic sit Romanæ Curia Stylus, præterquam quod ita graves Auctores testantur, probari potest ex eo, quod sæpe in Iubilæis post absolutam concessionem absolendi à reservatis in Bulla, exprimi solet, *Et à crimine heresis: cuius expressio superflueret, si sub priori clausula sufficienter contineretur.* Ita Sanchez lib. 1. Decal. capit. 12. numer. 10. Garcia capit. 10. numer. 109. Barbosa p. 2. de potest. Episc. alleg. 40. numer. 31. Castro Palao de fide. tract. 4. d. 4. punct. 3. Paragraph. 4. num. 1. Azor. tom. 1. lib. 8. capit. 10. qu. 12. Suar. de fide, d. 21.

482 Nonnulla suppono.

483 Venit intelligendum heresis crimen.

484 Non venit intelligendum.

68 Theologiae Moralis Liber XLVII.

d. 21. sect. 4. n. 21. Couar. cap. Alma mater, 1. §. 11. n. 15. Rojas de Hæret. p. 2. asserti. 239. n. 3. 21. & de priuile. Inquisit. n. 416. vbi ait, Motu quodam Pij V. edito anno 1572. Sic esse declaratum. Vgolin. de censur. tab. 1. cap. 10. §. 4. num. 8. Arag. 2. 1. question. 11. articul. 3. Mannel in addit. ad Bullam, Parag. 9. num. 66. & alij apud ipsos.

485
Hanc sententiam reor esse certissimam. Quia mihi difficile creditu reservationem tot legibus stabilitam Cruciatâ Bulla, aut Iubileis aliisque priuilegijs ordinarijs concedentibus abolutionem à referuatis, derogari. Vnde affirmo longè probabilius esse, (morem gero tot Doctoribus propinqua sententia allatis) sub facultate generali absoluedi à referuatis, non comprehendi referuata in Bulla Cœnæ: nec sub facultate absoluedi à referuatis in Bulla Cœnæ hæresim comprehendi.

DVBIVM CVII.

An infamia sufficit perfecte hæreticum ipso iure, sed postquam eius delictum sit notorium?

486
Nonnulla pramitto. **H**Aud dubium quin hæreticus, vt pote excommunicatus priuatus sit omni officio & munere, quo excommunicatus priuatus est. Quapropter neque potest Sacramenta recipere, neque actum ordinis exercere, neque alia munia obire, quæ interdiciuntur excommunicato. Quod si moriatur hæresi adhuc infectus priuatur Ecclesiasticas sepultura, cap. Si uir, de hæret. & cap. Excommunicamus, el. 1. §. Credentes, de hæret. Extenditur ad hæreticorum fautores, & defensores: debet autem hæreticus ita notorie decedere, vt nulla tergiversatione eius molitia celari valeat: alias priuari sepultura non debet. De irregularitate, quæ hæreticum comitatur suo loco differendum. In præfenti quaesierim circa infamiam, an ipso iure hæreticum afficiat? an non iure ipso, sed postquam eius delictum sit cognitum?

487
Eum afficit perfecte ipso iure, nec necessariū Eum afficit est delictum agnosci. Quia sic indicitur in Authent. Gazaros. C. de Hæret. & in l. Cunctos populos, C. de summa Trinit. & cap. Excommunicamus 1. §. Credentes, de hæret. & ex alijs pluribus textibus. Sic Farin. de hæresi, q. 189. n. 40. Pegna Director. p. 1. comment. 4. ver. Reliquos. Petr. Gregor. Syntag. iuris, lib. 33. capit. 8. numer. 3.

488
Eum perfecte ipso iure non afficit, sed postquam eius delictum notorium sit: vel notorietate facti, si factum sit publicum: vel notorietate iuris, si per sententiam omnibus innotescit. Quia infamia est praua alicuius opinio circa plures quæ esse nō potest absque delicti cognitione. Itā Burlat. consil. 14. n. 18. & n. 23. lib. 1. Azor. tom. 1. lib. 8. c. 13. q. 7. Sanchez, lib. 2. Decalog. c. 26. numer. 1. Farinac. de hæresi, qu. 189. num. 68.

489
Auctoris sententia. Certum mihi, hæreticum perfecte non posse infamiam contrahere ob præfatam rationē,

Nam licet hæc infamia à iure contrahatur ob hæresim delictum: indiget sententia declaratoria criminis; sicut ipso iure sunt bona hæretici confiscata: at executio confiscationis requirit sententiam saltem declaratoriam criminis. Quod vero aliqui dicunt ex hæresi occulta infamiam contrahi quoad effectus, scilicet, quoad inhabilitatem ad publica officia, ac Beneficia: crediderim, hunc effectum non tam ex infamia, quam ex irregularitate, & excommunicatione tali criminali annexa oriri.

DVBIVM CVIII.

Hæreticus ipso iure priuaturne Beneficijs ritè possessis: & non sed per sententiam?

490
ALia pœna hæreticorum est priuatio Beneficiorum, & officiorum, & inhabilitas ad futura. cap. Ut commissi, §. Priuandi de heret. in 6. cap. Statutum, el. 1. eodem tit. Difficultas est, de Beneficijs ritè possessis, an illis hæreticus ipso iure priuetur, an veniat priuandus per sententiam?

491
Non priuatur ipso iure, sed per sententiam priuandus obicitur. Quia in casu dubio, an sit priuatio per sententiam, vel ipso iure, pro priuatione per sententiam est interpretatio faciendâ, quia est benignior interpretatio, vt tradit Gonzalez ad reg. 8. Cancel. gloss. 1. §. 1. 153. Putens decis. 129. num. 46. Barbela p. 3. de potest. Episc. alleg. 57. n. 252. Sed non est certum ex illo textu colligi hanc priuationem ipso iure. Ergo. Certe vt aliqua pœna ipso iure incuratur, debet esse in iure expressa, vt apte probat Nicol. Garcia de Benef. part. 11. cap. 10. num. 3. Sed in iure nullus est textus, qui talem priuationem ipso iure exprimat. Quatuor enim textus allegantur, ex quibus minime id concludi Doctores citandi aperte probare videntur. Sic Castro lib. 2. de iest. hæret. punit. capit. 4. Simanc. de Cathol. iustit. tit. 46. num. 72. Ludonic. Gomez regul. de annali possessor. qu. 52. Henriquez lib. 13. c. 56. num. 1. Arag. 2. 1. qu. 11. articulo tercio Valquez 1. 2. dub. 17. c. 2. num. 11. Et Salcedo in pract. crimin. cap. 114. asserit, hanc sententiam vtique benigniorem, forte vtiorem esse, esto ipse contrariam sequatur. Sanchez verò affirmat esse probabilem.

492
Hæreticus externus quantumcumque occultus ipso iure priuatus est Beneficijs ritè possessis. Quia id adstruit Stylus, & consuetudo Romanæ Curie, in qua à die commissi criminis reputatur Beneficium vacare ipso iure: neque posse renunciari sed à quolibet alio impetrari, quem stylus, & consuetudinem esse testantur Farinac. Pegna, Suar. & alij apud ipsos. Ita Gonzal. reg. 8. Cancel. gloss. 1. §. 1. num. 65. Flaminio. libr. 3. question. 1. numer. 3. 1. Barbosa de potest. Episc. p. 3. allegat. 57. numer. 37. Garcia de Benef. part. 11. c. 10. numer. 6. Sanchez lib. 2. Decalog. c. 26. numer. 6. Suar. de fide, dub. 21. sect. 5. numer. 17. Couar. lib. 2. variar. c. 8. num. 4. Farin.

Farin. de heresi, q. 189. a. 69. Menoch. de arbit. l. 2. casu 46. n. 61. Pegna Director. p. 3. qu. 113. Salcedo c. 114. & plurimi apud ipsos præcipue apud Gonzalez.

495
Probabilior plane hæc sententia est. cap. enim Cum secundum leges de hereticis in 6. omnia bona hereticorum a die commissi criminis sunt confiscata. Si ergo omnium bonorum temporalium amittit hereticus titulum, & dominium, id à fortiori amittet Beneficiorum Ecclesiasticorum ipso iure. Requiritur autem Declaratoria sententia, cum ante illam non teneatur hereticus se Beneficiis spoliare, sicut neque aliis bonis, velatis colligitur ex cap. Cum secundum, de hereti. & tradit Sanchez c. 11. n. 7.



CAPVT XXVI.

De temporalibus Hereticorum Pœnis.

DVBIVM CIX.

Quæ acquiris Hereticus tempore medio inter delictum, & sententiam publicantur?

494
Malapra. mra circa bonorum publicatio- ne ob heresi crimen.
REGVLÆ est ab omnibus DD. recepta omnia bona tam mobilia, quàm immobilia, iura, & actiones, quæ heretici propria sunt, cum delictum committit, ipso iure confiscati. Quia in l. Manichæos omnia bona veniunt confiscanda, & sub signo illo vniuersali nulla excipiuntur. Bona autem quæ heretici non sunt, sed alterius, etiam si in potestate heretici reperiantur, in pœnam confiscationis non deueniunt. Quia hoc æquum non erat, alias innocentes punirentur contra leg. Sancimus, C. de pœnis. Bona verò, quæ heretici fuerunt, sed non sunt tempore delicti, eo quod illa à se abalienauit donatione simplici, aut contracta minime sunt confiscationi obnoxii nisi in fraudem fisci facta fuerit alienatio. Tunc enim nulla est donatio, vel venditio, sed omnino à fisco reuocatur. Porro si donatio, causa mortis facta sit à viro vxori, firma manet commissio delicti, & bonis publicatis, ac si mors naturalis euenisset, neque in fiscum transiit, leg. Sed si mors, ff. de donat. inter virum, & uxorem. At si donatio non à viro vxori, sed ab vxore viro, vel à viro aliis facta sit, morte ciuili donantis non confirmatur, sed omnino dissoluitur, & res donata transit in fiscum. Quia morte ciuili firmari donationem causa mortis respectu fisci, est speciale priuilegium vxoris. leg. Res vxoris, C. de donat. inter vir. & vxor. Quod autem post delictum commissum, & latam sententiam ille acquirit, non publicatur. Quia tunc cessat fundamentum publicationis quod est delictum. Docet id Farin. multis relatis, de heresi, q. 190. nu. 25. & q. 25. num. 138. Sanchez lib. 2. Decal. capit. 14. num. 8. Quæsc-

ris verò, an acquisita illo intermedio tempore, quo delictum committitur, & de illo fuit hereticus condemnatus, debeant confiscari, seu publicari?

Debent quidem. Quia ita consuetudo obtinuit, vt omnia bona, quæ habet delinquens, dum eius delictum declaratur, publicentur. Et in hæresi crimine hoc efficacius procedit. Quia dum ad Ecclesiam non reddit in hæresi censetur perseverare. Sic Azor. to 1. l. 5. c. 7. q. 8. Vasquez 1. 2. d. 169. c. 1. n. 8. Suar de fide, d. 22. sect. 1. n. 15. Iul. Clarus lib. 5. receptor. §. fin. q. 78. n. 24.

Non debent publicari. Quia confiscatio hæc delicto est annexa, nec sententia aliam sententiam delinquenti imponit, nisi quæ per delictum imposita est: sed per delictum imponi non potest confiscatio nisi bonorum, quæ tempore delicti habentur. Ergo nec sententia aliam confiscationem imponit. Ita Martienzo lib. 5. recop. tit. 4. leg. 3. §. 7. n. 6. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 14. plures citans Baiard. ad tit. ad Clarum lib. 5. §. Heresi, num. 10. & q. 78. nu. 212. Burlat. conf. 14. n. 28. Palao de fide tr. 5. d. 4. pun. 3. n. 5. & alij.

Probabilius hoc mihi. Nam hoc præstat confiscatio ipso iure, vt ius loco sententia succedat, & delinquens ex delicto puniatur, ac si sententia esset pronunciata: Ergo non puniatur in bonis post delictum acquisitis. Fauet lex 1. ff. de pœnis. Vbi eam pœnam delinquens sustinere cogitur sententiam, quam sustinuisset, si eo tempore, quo deliquit, esset lata sententia: At si eo tempore esset sententia lata, non extenderetur ad bona postmodum acquisita: Ergo neque etiam postea extenditur. Demùm pœnæ non sunt extendendæ, sed limitandæ: nulli autem habetur, extendendam esse confiscationem ad bona post commissum delictum acquisita: Ergo.

DVBIVM CX.

An cadat sub confiscationem Maioratus & fideicommissum ob crimen heresis, & Sodomie?

BONA maioratus, vel fidei commissio subiecta, vel alienari prohibita sub publicatione bonorum generatim non comprehenduntur, leg. Imperator, Digestis de fideicommissis, liberat. Farin. plurimos referens libro primo præf. qq. q. 25. numer. 32. Nosler Molina tomo tertio dub. 56. numer. 2. Quia quilibet habet in suis bonis liberam disponendi facultatem leg. sed et si lege. Paragraph. consultit, Digestis de petir. hereditat. Sed qui tibi ea bona reliquit, non absolute reliquit, sed sub conditione, ne ea posses alienare: Ergo sub confiscatione non comprehenduntur. Probo consequentiam. Quia nullus potest amittere, nisi ea, quæ sibi propria sunt, & quorum habet liberam dispositionem, leg. Si dotem, Cod. de iure dotium. Quæstio autem est, an cadat sub confiscationem maioratus, & fideicommissum ob crimen heresis, aut Sodomie?

Cadit

495
Quæ acquiri tempore medio publicantur.

496
Non publicantur.

497
Hoc mihi probabilium.

498
Certa suppono.